

ORATIO DE HONORE.

quiddam super nos esse, quod hæc tam mira, tam magna, tam multa, creâ-
rit fecerit & creata facta etiam nunc dirigat & conservet, præsentemq;
refert quælibet herba Deum; cui nihil clausum, qui interest animis no-
stris, & cogitationibus mediis intervenit. Nec mirum: Nam non secura
quies illum similisq; sopori detinet: Non dormitat neq; dormit, sed ille
est qui viget, qui sentit, qui meminit, qui regit & moderatur, qui cœlorû
perennes orbis, qui siderum inæquales cursus, qui elementorum alternas
vices, qui omnes res superas, inferas, temperat, gubernat. Nec plura ad-
dam, siquidem Cyprianum insusurrantem audio: de Deo etiam vera di-
cere periculosum esse: & Augustinum: Deum melius sciri nesciendo.
Id quod observare mihi debebant hodierni quidam sapientuli, qui circa
arcanam divinorum mysteriorum lasciviunt flammam, perinde ut papi-
liones & minuta, nescio quæ, animalcula, vesperi lucernæ circumvoli-
tant lumen, donec amburuntur: pietatem debitamq; Deo cum honore
reverentiâ omnem prorsus exiunt; petulcaq; illorû mens, scabie quadâ
litigandi infecta eò etiam impietatis prolabitur, ut *θεὸν ἔδαμῃ ἔδαμῶς*
ἄδικον, ἀλλ' ὡς οἱ ὄντε δικαιοτάτων suæ malitiæ causam prætere-
dere non vereantur. Hoc in freto natant, his Oceani fluctibus sese credunt, & quid
mirâre si abripiantur? Nos autem, qui aliter sumus instituti, habebimus
dignum Deo honorem, scientes quod in nobis omnis quidem motus sit
autor, sed non nisi boni fautor. Ad virtutem enim accingimur? ipso
sciente, & juvante fit. ad vitium? sciente ipso & sinente nec ejus hîc
aliqua culpa. Quid omnes mortales acturi essemus vidit ipse ab æter-
no, sed vidit, non coëgit, scivit, non sanxit, prædixit, non præscri-
psit. Ecquid igitur titubant hîc nostri Curiones? quid cespitant scioli?
ô misellos qui errant in tali loco, qui est in tanta luce! sed quid agant vi-
derint ipsi, non ego per præceps & acuta cacumina vadam. Verto proram
& removeo me ab hac Scylla, quæ multorum ingenia absorpsit:

Hic mihi sunt Syrtes, hîc acroceraunia vito,

Hic vomit epotas dira Charybdis aquas.

Redeo illuc unde digressus sum. Proximi itaq; à Deo honores debentur
illis qui proximè ad Deum accedunt; quales sunt intelligentiæ sive beati
genii: quales item omnes sancti homines, vel cum Deo jam triumphantes
vel adhuc in terris in valle hac lacrymarum inter varias ærumnas mili-
tantes, qui precariò de divino hoc bono participant, sed ad signatâ metâ,
quàm si attingant, nihil requirunt amplius, quam indipisci licet, transire
æquaquam. Sanctos Dei angelos majori afficere honore non possumus,
quam